

2865 'Quod [T. Livius historicus] fuerit sepultus eodem ipso loco, quo haec ista ossa reperta sunt [scilicet ad monasterium S. Iustinae. vide mox], fama auget fidem, quod lapis quo insculptum hoc epigramma videtur (neendum excessit octuagesimus annus) inde levatus fuerit, nam et modo calcis fragmenta erant et apparebant vestigia, unde evulsus foret. Hunc autem . . . lapidem . . . repertores . . . in eo ipso quo nunc visitur vestibulo ecclesiae S. Iustinae fixerunt'. Ita SICCO POLENTONUS in epistula (edita apud Pignoram *origini di Padova* p. 124 seq.) data ad Nicolaum Florentinum Patavii V k. Nov. 1414; qui si verum refert, lapis prodiit inter a. 1335—1344. Contra quinquaginta annos ante repartam arcam a. 1413, id est c. a. 1364 titulum prodiisse in monasterio S. Iustinae 'pone abbatis aedes, ubi nunc valetudinarium est', et translatum esse in vestibulum templi appicta Livii imagine auctor est monasterii eius rerum scriptor Iac. CAVACIUS (hist. coenobii D. Iustinae ed. 2 Patavii 1696) p. 218. Ad aedem Iustinae collocat CYRIACUS, in introitu maioris portae ecclesiae S. Iustinae MARCANOVA, in pariete ecclesiae S. Iustinae ad portam IUCUNDUS; similiter ANTIQUORES OMNES. Ibidem a. 1413 prodiit capsula plumbea, quae, cum monachi 'ex patribus accepissent Livium ibi sepultum esse', scilicet propter ipsum illum titulum eruderatum ibidem, statim visa est esse arca ea, in qua T. Livius sepultus esset, etsi ne tum quidem defuerunt, ut ait Polentonus, qui infitiari magnopere niterentur. Videtur autem opera pretium esse, quid de ea inventione statim Polentonus in epistula citata scripsit ad Nicolaum hic quoque referre. Coenobium, is ait, 'Iustinae virginis consecratum est . . . prope adjacentem parietes, quos gentili-tati fuisse Concordiae templum fama refert. Abbatis [Ludovici Barbi † 1443] frater [Marinus, v. Cavacius p. 218] spatio quod intercedit (nam 'parum distant: lapidem pede iaceres) seu casu seu numine, cellulam ut commodiorem haberet, in olitorio, quod secus dormitorium orientem 'versus ibi conterminat, fossam pro cloaca fecit. Quae cum quinque pateret pedes, detexit veluti fundamentum lateribus maximis et calce omni 'parte compositum. Eo aliquantulum fracto inclusa capsula reperitur plumbea quidem, longa pedes sex, alta vero et lata aequa ultra pedem. Livii 'mox clamatur, quod relatu fratrum sepultus ibi Livius haberetur. Scripsit ad me Rolandus monachus, et patriae quidem et litterarum amator, 'Livium repertum. Postpositis quibusque illicet eo. Dissolverant iam id murale claustrum. In caveam descendendo. Ostio sublato proportionate 'iacentia ossa quaeque video. Ponderosam denique capsam fune contrahimus. Commendo illis, exoro quod interim salva sint. Ad Palatium redeo; 'litigatore quod iam vesperasceret plenum erat. Peritiores optimates adeo, visa narro. Quid denique? omen bonum suspicari omnes, congaudere 'omnes, confluentibus replicatum saepius. Rem inauditam puta. Non satis poterat audientibus explicari. Mausoleum decens fabricandum univoce dicunt. 'Contribuere pollicetur quisque. Curem ista demum omnes et iubent et rogant. Officium ego id, quod video et civitati honoris esse et civibus gratum, 'accipio. Haec II kal. Sept.: annus iam exactus est: tum enim annus 1413 a nativitate Christi currebat. Commigrare illo vidisses omnes, atque ipsi 'demum lanii sutoresque. Porro incuria eorum ipsorum, quibus servare datum erat, nonnulli studiosi alienigenae tum memoria tum reverentia dentes 'unatim furantur, quam ob rem sero licet sub clave secreto clauduntur. Is qui absentis abbatis tenebat vices, concursu hominum terrefactus, 'fortasse futurum ratus his istis ossibus, si diutius superessent, ad gentilitia populum revocari, cum neque ab re Gregorius Pontifex scripta sua delere 'curaverit (puro homini videbatur hunc quasi deum paene coli), consuluit ipse sibi ea ossa comburere et in pulverem ventis dare. Cranium itaque id, 'quod fuerat tot saeculis terrae visceribus conservatum, is homo trivit. Patefecit consilium monachus ille mihi, ego Zachariae Trivisano: cuiusmodi 'quantusve fuerit nosti. Accitis extemplo nobilibus coit. Non deerat ordo furari, si tradere ultro nollent. Tanto in conventu difficile custodissent. 'Verum aberat ille nimium atque nimium acutus. Gerebat tunc vices fautor noster: assensit libens ipse, portaremus quoicumque. Nec mora, ne licen-tiam poenitentia revocaret, Andreas Dandulus Veneto ex Senatu clarus capite uno, ego ipse altero capsam ligneam pro commoditate praemissam, 'quod pondere plumbea tractari non posset, extulimus. Succurrerunt illico cives ornatissimi, qui iuvarent, Peraghinus de Peragia, Palaminus de Vi-talianis milites egregii. Succurrerunt item iuris scientia decorati viri, Alexander de Doctoribus, Ioannes Franciscus Caputlistae, Nicolaus Porcellinus. 'Partitis namque locis hinc atque inde et ramusculis lauri superfixis per fora ad anlam usque contulimus. Sequebatur Zacharias cum reliquis, comi-tiva grandis quidem, quam augebant continuo vicatim supervenientes viri puerique et plebs omnis, ut pedes vel portantium impedirentur. Ut vero 'confluentum multitudinem refrenaret furibusque occasionem obstrueret, voluit Zacharias proprio in penetrali poni. Haec fodendi causa, haec trans-ferendi series. Mausolaei autem formam cape. Demum itaque primoribus convocatis et his qui collegiatis artibus praesunt, quos alii decanos, alii 'priores, Patavii gastaldiones vocant, senatus habitus est. Interfuit pro dignitate Leonardus Mozzenigus, incliti modo Venetiarum ducis frater. Inter-fuit et Zacharias ipse, cuius diligentia operam non parvam dedit. Civitati ad iustitiam praeest ille, militiae ad praesidium iste. Sententiam Zacharias 'dixit. Rem veluti oblatam divinitus efferunt quique. Contigisse hac aetate maxime collaetantur. Mausoleum denique et urbe et viro dignum fa-ciendum consulitur. Nec fuit in tanta concione quisquam vel illiteratorum hominum, cuius impunitia a communi sententia dispareat: quin imo ad 'sumptum libere suo pro collegio portionem singuli obtulerunt. Verum enim vero ut pro quaue re quotidie senatus habendi occasio levaretur et 'quod perfectum videre omnes optarent citius completeretur, diligere omni ex ordine, ne invidiam praelatio generaret, sexviratum placuit. Delecti itaque 'sunt ex militibus Paulus de Leone, ex togatis Prosdocimus Comes I. V. C., ex honestis Ioannes Zabarella, ex opificibus Franciscus laricus(?), 'Franciscus aromatista, Gottifredus aurifex. His confertur auctoritas omnis modi, formae, temporis, impensae, loci dandi. Opus namque forma 'plerisque consiliis praelibrata nunc faciendum caelator habet'. . . . 'Locum [mausolei] dignum forum aulicum apud sancti Clementis basilicam decre-tum habent, quod accolis atque transeuntibus advenis in prospectu sit. Non minuet operis maiestatem forum illud pavimentari laterculis. Non de-fuerunt amplissimi viri cives optimi, Henricus miles et Petrus fratres Scroffegni, qui pro liberalitate sua offerrent se omnem impensam facturos, 'si ad domum suam opus hoc fabricari daretur. Non illiberalius obtulit Ludovicus Buzzacarinus vir utique clarissimus, litteratissimus, ditissimus. 'At nemo impetrare id potuit. Placuit enim quod publici ornamenti esset de publico et in publicum fieri'. Hactenus POLENTONUS, unde sua ex-cerptis Cavacius p. 219 sq. Etiam Flavius BLONDUS (1388—1463) in opp. (Basil. 1559) p. 381 narrat aedem S. Iustinae collocatam esse in vetustae aedis vestigio, 'quod effudentes ubique pulcherrima inveniunt lithostrata, eodemque in loco T. Livii sepulcrum aetate nostra repertum fuisse con-spectimus'. Ossa illa in curia 'ad parietem occidentalem', ut ait, Scardeonius p. 41, 'supra portam honoratissime cum hoc elogio collocata: 'OSA · T · LIVII · PATAVINI · VNVS · OMNIVM · MORTALIVM · IVDCIO · DIGNI · CVIVS · PROPE · INVICTO · CALAMO · INVICTI · P · R · RES · GESTAE · CONSCRIBERENTVR'. Quam inscriptionem solent etiam syllagae referre una cum ea quam infra dabimus, e. c. Marcanova cod. Bern. n. 401, Mut. f. 156' Pat. 2; Felicianus Pat. 14; Apianus 347, 1; Scardeonius 1. c.; Grut. spur. 13, 5. 'Os vero brachii', Scardeonius pergit, a. 1451 'Alphonsus Aragonum rex impetravit a re 'publica Patavina, ut Neapolim deferretur, relicto ibi in tabula lapidea hoc elogio: INCLITO ALPHONSO ARAGONVM REGI STVDIORVM FAVTORI REIP · 'VENETAES FOEDERATO ANTONIO PANORMITA POETA LEGATO SVO ORANTE ET MATHEO VICTVRO HVIVS VRBIS PRAETORE CONSTANTISSIMO INTERCEDENTE EX 'HISTORIARVM PARENTIS T · LIVII OSSIBVS QVAE HOC TVMVLO CONDVNTVR BRACHIVM PATAVINI CIVES IN MVNVS CONCESSERE ANNO CHRISTI MCCCCLI XIII KAL · 'SEPTEMB ·'. Denique maxillam ex iisdem ossibus in sphaera aurea inclusam servari in cancellaria Patavii scribit Marcanova et eum secutus Scar-deonius. — Titulus, propter quem arcam a. 1413 repartam Livio attribuerunt, remansit loco antiquo ad S. Iustinae, donec ea aedes reficeretur, ut ait adnotatio ad Iucundi codicem Cicognae; scilicet a. 1547 'ab aede D. Iustinae', Scardeonius inquit, 'epitaphium translatum est et appositum hono-rifice ad ossa in foro et desuper antiqua effigies capitinis, quod extat apud Alexandrum Bassianum in maxima existimatione'. Imaginem parietis cum inscriptione inter ornamenta Ursatus proponit aere expressam 1652 p. 27. Titulus prostat adhuc in curia intus parieti infixus. — Falsum exemplum videtur extitisse Laude in domo Bassiani a Ponte; certe ibi ex lapide descripsit auctor CODICIS PAPIENSIS (inde Vignoli *storie Lodig.* p. 255), de quo agetur in Laudensibus.